



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XLI. In Domin. XII. Post Pentec. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Luc.
10. Arg. Homo ex natura sua reformatus est ad amorem proximi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XLI.

IN DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Luc. 10.

ARGUMENTUM.

HOMO EX NATURA SUA EFFORMATUS
EST AD AMOREM PROXIMI.Creatura
quævis
DEO sub-
ditus.

I.



Ulla creaturarum om-
nium, in tantum refra-
ctaria, ac indomita re-
peritur, quin ad nutum
nictumvè supremæ

Majestatis flectatur lupato. A. Ab ip-
sis mundi cunabulis demandatum ter-
ræ est, ut germinaret herbam viren-
tem, & facientem lemen; & lignum po-
miferum faciens fructum juxta genus su-
um. Et factum est ita. Sanctum itidem
ut sol & luna, cœteraque siderum ag-
mina, irrequieto motu, cardines cœli
obirent, diei, noctisque inducias dis-
pensarent, ac elementis sibi subditis
obstetricarent. *Fiant luminaria in fir-
mamento cœli, & dividant diem, ac no-
ctem. Et factum est ita.* Præceptum ip-
sis elementis, ut sese mutuò foverent,
mala profligarent, bona inducerent,
homini ancillarentur. *Et factum est ita.*
Unumquodque suo fungitur officio,
astra lucent & gyranur, aura putidam,
noxiamque profligat mephytim; li-
quor lactat, lavatque, terra germinat
& gemmat; nec vel latum unguem
tantâ sæculorum evolutorum interca-

pedine ab edictis cœlestibus exorbitaf-
se secluso speciali edicto compertissi-
mum est. Nam ut verè de his Psaltes
occinit: *statuit ea in æternum & in sæcu-
lū sæculi, præceptum posuit & non præter-
ibit.* Quod si insuper Divinum Nu-
men ediceret, ut gravissima montium
juga, ad cœlestis harmoniæ concen-
tum exilirent; vel depressa ponderi-
bus suis saxa volucrum instar, assump-
to alarum remigio per æra fertentur;
flumina ad Oceani patriam maturan-
tia iter retrorsum unde exierant, refle-
cterentur, bestia efferatissimæ exuta
omni crudelitate, ad humanitatis, ac
clementiæ genium sese componerent,
&c. illico universa morem gererent, se-
que divinis submitterent imperiis. Id
quum ita sit, quid est quod homo leve
Domini sui jugum proterve dedigne-
tur subire? Quid est, quod temerario,
ac perduelli ausu frœna illius excutiat?
Quid est, quod cum illi, (ut alia præter-
eam) præcipitur ut diligat proximum
suum, ipse non modo non obsecundet,
sed insuper calcatis Domini sui edictis,
eundem maledictis impetat, violentiâ

Psal. 146

infe-

Gen. 1. 11.

Ibid.

infestet, prosequatur odio sapius Vatiniano? Unde quaeso hoc? Estne in homine radix, ex qua tam venenatum malum pullulet? Estne membrum unicum, in quo semen quodpiam diffusionum naturae auctor reposuit? Estne arteria minima quae iracundiae fluctus despumet? Estne ossiculum aliquod, ex quo tanquam ab incude Vulcani cujusdam, scintillae inimicitarum profiliant? Id paululum exactius perpendamus.

PARTITIO.

II. Ex probabiliore sapientum sententia, homo materia, seu corpore, anima, seu forma, & unione, tanquam partibus essentialibus constat. Ut enim ex anima, & corpore illum componi compertissimum est; ita insuper unionem denegare nemo saniore pollens iudicio poterit. Restaret enim integer, atque incorruptus secundum fata sua homo, nisi pars ista interiret, &c. Has ego partes quum singillatim excutio, non modo non oblucentes, aut refractarias dilectionis Pandectis invenio, sed insuper summopere ad eas propensas, ac deditissimas enuntiare cogor.

§. I.

Homo ratione materia propendet ad dilectionem.

Gen. 2. 7. **N**Am quod primam Hominis partem, seu materiam illius concernit, de ea sacer Chronologus in hunc modum meminit: *Formavit Dominus DEUS hominem de limo terrae.* Hebraea legunt: *Plasmavit DEUS pulverem, seu lu-*

tum de terra. Id est quemadmodum *Homo cup* platae fingunt homines luteos; ita *ex limo* DEUS hominis corpus in modum *conditus.* staturae, vel per se, vel per Angelos suos, de limo terrae efformavit. Hic ego exurgo percunctorve, quid sit quod divina Bonitas hominem, cui omnia subdidit, non illustrioribus cunis cerise decorarit? Cur non juxta mentem Platonis aurum, argentumve venis illius infudit? Cur non ad instar Deucalionis, non quidem ex rudi petra; sed gemma quapiam eduxit? Cur saltem alio utus elemento superiore non est? Nonne si candicaret eboris instar, si radiaret ut ignis, fulguraret ut aurum, splenderet ut adamas, augustius magnificentiam Opificis demonstrasset? Nonne natalitius & minimè adscititius splendoribus illustris esset? Qua de causa elemento vilissimo agnatum reddidit? Attendite quaeso, & stupefcite profunditatem divini consilii. Omnibus aliis elementis citra terram, nescio quid vitii à natura ipsa inoculatum est. Ignis naturam suam avidissimus, rapacissimus, superbissimus, crudelissimus est. Rapacissimum dico, quia nunquam dicit, sufficit. Superbissimum, quia cæteris altius etiam cum interitu aliorum emicare contendit. Avidissimum, quia omnia depascitur. Crudelissimum, eò quod oppida, ac civitates integerrimas in favillam redigat, fulgura, ac tonitrua excitet, hominem ipsum sui juris factum atrocissimè excruciet. Aura itidem vertumnus unus est; jam Zephyro blanditur, jam flante Boreâ tecta, turresque cidari sua despoliat, arbores stirpitus evellit, onerarias in syrtes vel

*Terra enco-
mixta.*

scopulos præcipitat, urbes, regnavè in-
tegerima terræ motibus quatit insolit-
tis. Aqua etiam insolens nimum, su-
pere xundat licentiosius, catadupas
& aggeres perumpit, pecudes homi-
nelque sepelit, urbes ac provincias di-
ruit, & stillicidiis ipsis naufragium na-
vibus, ruinam sæpius domibus accer-
sit. Saxa, gemmæque per se crudæ, ste-
riles, ac sæpenumero indomitæ sunt.
Terra sola, ac unica nos universos, per-
inde ac Mater amabilissima, suis in vi-
ta succollat humeris, suo post fata sus-
cipit gremio. Hæc nos pascit frugi-
bus, ac fructibus, delectat floribus, &
mille modis à nobis spreta, ac concul-
cata, læta ac faucia, versa & everfa, nun-
quam, & nusquam beneficentiæ suæ
in nos stirit cataractas. Noluit ita-
que sapientissimus rerum omnium
Conditor ex igne nos educere, ne for-
san tonitruis, fulminibusque aliis ob-
streperemur. Nec ex aëre, ne vanitatem
ipsius, intolerantiamque æmularemu-
ne alios lue contagiosæ conversationis
afficeremus, ne fuluris, nescio quibus
incesseremur. Nec item ex liquore a-
riginem, ac stirpem trahere voluit, ne
effunderemur sicut aqua, & tumore
decumano turgidi, aut tempestate af-
fectuum agitati, naufragium nobis, o-
liique acceleraremus. Nec denique
ex lapide ullo, ne forsan marmoreas,
immitesque traheremus fibras. Ve-
rùm ex terra, quæ cuncta sustinet, om-
nibus omnia elargitur, & nulli impro-
perat, nos profapiam ducere voluit;
ut vel sic ab ipsius incunabulis nos ad
omnis humanitatis amissim efforma-
ret. Eam ob rem, ut suffragio suo sen-
sum meum comprobavit Mediola-

nenfis Antistes; ita luos Auditores ad
hanc Genesim perpendendam adhor-
tatus est: *Considera, inquit, ð homo unde
nomen sumpseris, ab humo scilicet, quæ ni-
hil à te accipit, sed omnia largitur omni-
bus, & diversos in omnium animantium u-
sum fructus administrat. Inde appellata
humanitas, specialis, ac domestici. a virtus
hominis, quæ adjuvet consortem. Expende
inquam hæc terid, & vel ea de causa te
ex terra formatum esse tibi persuadeas,
ut humanitatem charitatemque secta-
reris. Sororix enim telluris, ac Cha-
ritatis conditiones sunt, quod in mun-
do majore efficit tellus, id in minore
Charitas. Nam ut Charitas oraculo
Pauli, patiens est, benigna est, non emula-
tur, non agit perperam, non inflatur, non est
ambitiosa, non quarit, quæ sua sunt, non ir-
ritatur, non cogitat malum. Omnia suf-
fert, omnia credit, omnia sustinet; ita &
tellus. Nec ista nec illa facit stipendi-
um, nec illa nec ista vindictam medita-
tur læta, nec illa nec ista cothurnum
induit; nec illa nec ista Lari suo sa-
cificat &c. Considera ð homo unde no-
men sumpseris, &c.*

III. Elucescet id multò amplius ex
arctissima membrorum omnium inter-
se necessitudine. Horum enim quod-
vis alteri ancillatur, & intentata in alte-
rius perniciem mala propulsat. Caput
citra ambitionis fastum præest, pedes
summa cum devotione eidem sese sub-
mittunt, venter sine ullius injuria dis-
pensat oblata. Quod si verò unum in
aliud membrum insurgat, si unum a-
liud destituat, si communionem alte-
rius privetur, totum corpus perire est
necessè. Insigni hoc apologo Mene-
nius Agrippa seditioso Romanorum
popu-

*Homo ex
natura fir-
matus ad
charita-
tem.*

*Ambr. l. 3.
c. 3.*

1. Cor. 13. 4.

*Membru-
rum consen-
sio edocet
charitatem*

*Liv. l. 2. c.
32. d. 1.*

populo exposuit. Tempore, inquit, quo in homine non ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, suâ curâ, suo labore, ministerioque omnia ventri obvenire. Manus dicebant: Fratres amantissimi, in propatulo positum est, quam impigro studio, ac labore incumbamus, abdominis nostri orexim expleturæ. Nos fodimus, nos findimus, nos cudimus, nos pugnamus, nos teximus, nos alias operas exantlamus, ventre interim decumbente, oblatisque voluptatibus sese immergente. Nec se movet nisi sellâ gestatoriâ, bajulis pedibus deportatus, nec se erigit ad bolum sumendum nisi meis digitis, perinde ac infanti offa ingeratur. Nec pericula perspicit, aut prospicit, nisi oculi, mensque pervigil pro eo excubias agat. Quid, numquid spurii sumus, aut mancipia illius, ut tam impigrè eidem deserviamus? An non æquo jure cum eo gaudere possumus? Herculem juramus nullum nos deinceps dominium passuras, spartâ contentas futuras, & in sinu pacatissimè quieturas. Sic est subtexerunt pedes, nos Majestatem illius bajulamus, nos jam in hanc, jam in illam partem subvehimus, non alio stipendio, quam forte calculi, aut humoris ex barba defluentis. His uno ore acclamarunt oculi, aures, dentes, os, lingua: Nos à tabulis, nos nuntii, nos dapiferi, nos incisores hujus despotici dictatoris esse cogimur; sed jam ab hoc momento abrenuntiamus, & ejuramus tyrannidem ipsius. Dictum factum. Decernitur ne posthac ullum

membrum illum auscultet, manumittuntur pedes, ne eum ferant, imperatur oculis ne ducant, manibus interdicitur ne ei stipem erogent, & æquâ ratione alia emancipantur membra. Quiescunt interea libertini illi, gratulantur sibi pileum, fibulamque insultant petulantissimè stomacho. Cum ecce luce alterâ vel tertiâ, pedes manusque languere, oculi hebescere, totum corpus fatiscere occipit, quoad iterum datis dextris, & porco mactato reconciliarentur.

IV. Dilecti mei quæso nos sumus, si in Apologo Apostolum audimus, nisi unum corpus in Christo, & alter alterius membra? Si igitur membra corporis naturalis sibi invicem operam locant; si se invicem vindicant, sibi adminiculantur, an non æquum est, ut & membra corporis mystici arctiore vinculo inter se catenentur? Audite quæso præfatum Patrem idipsum inculcantem. *Hæc est, ait ille, lex natura, qua nos ad omnem adstringit humanitatem, ut tanquam unius corporis partes, alter alteri deferamus; nec detrahendum quidpiam unius corporis membro putemus, cum contra natura legem sit proximum non juvare.* Finge hanc, & da oculo virtutem, ut possit detrahere auditum auribus, odoratum naribus, ori saporem, ac sibi conferre; nonne omnem naturæ statum dissolvit? Finge item oculos nolle in medio pati nasum, aut nasum os, aut os dentes, aut dentes linguam, nonne de toto corpore actum erit? Sic enim nascimur, ut consentiant membra membris, & alterum alteri adhareat, & obsequatur. *Non est, scribit Apostolus, schisma in corpore,*

Rom. 12. 5.

Ambr. l. 3. offic.

pore, sed id ipsum pro invicem sollicita membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Si verò tantus est nexus membrorum corporis, an non æquum est, ut eodem trahamur ad amorem proximi? si officit membris naturalibus seditio, an non multò gravius spiritualibus? Si illa fatiscunt, an non timendum, ne & nos perinde ac membra putrida, ac contagiosa, à capite nostro avellamus? Si injuria est corpori, quævis mutilatio; an non itidem futura est capiti nostro Christo?

*Homo cur
inermis.
Greg. Naz.
l. de Opif.
h. c. 7.*

V. S. Gregorius Nazianzenus roboraturus mentem meam, appositam propositioni meæ quæstionem movet percontaturque, qua de causa D. O. M. hominem prorsus inermem condiderit? Neque enim aut fronti cornua indidit; aut plantas calcibus armavit, aut latera squammis loricavit, aut os dentium mucronibus inarmavit, aut linguæ aculeum aptavit; verum omnino nudum, omniumque telis expositum prostituit. Nonne par erat, ut universitatis Princeps inter arma ac phalanges, velut Salomon sexaginta inter fortissimos resupinaretur? Nonne æquum, ut quæ viribus, quæ armis, cætera animantia antecelleret; eaque ratione & vim propulsaret illatam, & salutis suæ consulere, dignitatisque? Cui quæstioni ipsemet respondit, dicens: Ea de causa factum, ut homo non nisi amore, ac benevolentia munitus hac unicâ veluti armaturâ, & à reliquis bestis feritate principatum aucupantibus discreparet, & alios sibi obstringerentur. *Si enim cornua, vel aculeos aliquos unguesque præferret ultores,*

primum quidem bestis existeret similis, & occurrence ipsa difficilis appareret. Prò quantum monstrum foret homo, si aut proboscide proluxâ Elephantum, aut torvo corneove taurorum vultu, aut dentibus aprorum prominentibus, aut alio feritatis simulachro deformatus esset. Quis eo rerum statu alteri cohabitaret? Quis vel obvio non percelleretur intuitu? Si hoc rerum articulo definivit sapiens: *Commo- Ecl. 15. 18.
rari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Quid illo sanxisset, in quo omni horribilius Megæra, non anguibus duntaxat incingerentur; sed & cornu, & unguibus, & calce ferocirent? Si nunc effervescentes vehementius stomacho, viri non sustinent, quæ præaridas tolerarent? si nunc identidem ad laminam machæra saltantes vix cicurantur, qua ratione tum mansuescerent, quum cornu semper præferrent? Divino itaque factum consilio, ut & enermes emitterentur ut in lucem, & ex natura radice nullum ad offensionem genus armorum sit subministratum.

§. II.

*Forma Hominis haud disuit, sed
consuit amorem.*

IV. **A**ltera pars hominis anima est, eaque ad imaginem DEI condita. *Creavit DEVS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit illum,* ait sacer Historiographus. Non me latent altissimæ hujus divini consilii rationes. Teneo probè mentem Gregorii Nissenii, opinantis id ea de causa factum, ut quantò magis homo similitudine ad DEUM accederet, tanto majore

*Homo est
ad imagi-
nem DEI
conditus.*

Gen. 1. 27.

*Greg. Nis-
s. 2. in Gen.*

maiore intervallo animum à creaturis avocaret. Comperta mihi est doctrina magni Ecclesiæ Doctoris Augustini, interpretantis id eo consilio factum, ut homo imagine DEI sui, perinde ac sigillo munitus, se totum juris divini esse nosset, nec ulli rei creatæ se se le manciparet. Exploratum mihi ex Chrysolobo est, intentionem Numinis eò collimasse, ut homo tanto accuratior studio, nitorem animæ suæ conservaret, ne vel luto, spurcitiisque peccati fœdaretur. Constat, ut alios imitam, S. Leonem obtendere, quatenus imitator esset sui Conditoris. Verùm proposito meo appositissimè ratiocinatur D. Franciscus Salesius, id intantum ad majorem erga proximum suum concipiendam benevolentiam. *Vt sicut DEVS creavit hominem ad imaginem, & similitudinem suam; ita etiam ordinavit amorem erga hominem ad imaginem, & similitudinem amoris, quæ debetur Trinitati.*

VII. Quod ut intelligatis, sciendum ex Theosophia est, quod Pater æternus producat Filium suum in similitudinem naturæ, videat in eo imaginem suam, eamque infinito amore, qui Spiritus S. est prosequatur, inque omnem ævum complectatur. Ad extra verò veluti pelagus Bonitatis immensum in tempore exundans, cum hominem ad imaginem suam, seu ut Hebræa legit, ad umbram suam condidisset, eidem summè agglutinat; ut non creata duntaxat in bonum ipsius, & usum proximè retulerit, sed & Filium suum eidem donarit. *Sic DEVS dilexit mundum &c. Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ita ut in eo ordinaret amorem*

erga proximum. Ut sicut DEUS ab intra respiciens Filium suum, qui est imago ipsius invisibilis, eandem infinito amore complectitur; ita & tu in altero imaginem DEI coleres, & observares; tuumque amorem ad divini amoris ideam, quantum humanæ intentiones sufficiunt, in intimis effingeres medullis. Subinde verò, quemadmodum Bonitas divitias suas largissimè communicat; omnia conferendo in usum hominis, eundem lapsum erigendo, & gratiæ suæ donis præveniendò, concomitando, implendò; haud secus nobis incumbit amorem, quem intus concepimus, pro virili ad extra contestari; collaborando proximo, juvando consilio & auxilio, uno humero quasi, cum privatum, tum publicum bonum promovendo. *Vt sicut DEVS creavit hominem ad imaginem. &c.* Itaque opera tua non sint duntaxat particularia, sed universalia, non respiciant emolumentum tantum proprium, sed & proximi; non in corde, aut mente subsistant; sed in propatulum ad opus progrediantur.

VIII. Ne verò quispiam naturæ corruptæ vitium obtenderet, ipsemet, qui eam condidit, ad genuini amoris Id eam reformare dignatus est. Ipse tanquam Rex pacificus, regiè, magnificentissimèque pacificans, *quæ in terris & quæ in cælis sunt*, lauream in sublime Triados Capitolium intulit. Ipse parietem qui divisus erat inter nos, ac DEUM, cruore suo compegit. Ipse à Patre suo exoravit, ut sicut ipse est unum in natura cum illo; ita & nos voluntatis conjunctione, in unum reduceremur. Pater mi, ait, unicam à te peto, nimirum: ut

Ccc 3

sicut

Aug in Gen

Chrysol.

Leo

Franc. Salesi de Amo. div.

Christus
Rex pacificus

Col. 1. 20.

Eph. 2. 14.

22. 23.

sicut tu in me es, & ego in te, ita & illi
sint in nobis solide uniti, & perfecti.
Vi sint consummati in unum, sicut tu in
me, & ego in te.

Añ. 4. 12.

Hinc unionem muadus suspexit,
cum illo sublimato cœperunt corda fi-
delium uniri, ac singulari voluntatum
communione ad DEUM ferri. Nam
ut S. Lucas contestatur: *Multitudinis
credentium erat cor unum, & anima una.*
Erant inter se charitate mutuâ, divina-
que pace, perinde ac gemmeo vinculo
copulati; Ad Christi corpus, divino
odore perfusum, perinde ac Aquilæ
congregabantur; ab eodem perinde
ac magnete potentissimo ad se invi-
cem corda eorum rapiebantur; ut non
tam nomine; quam re ipsa Fratres, &
Germani haberentur. Fieri ne ergo
potest, ut nos eadem matre geniti, eo-
dem Patre cœlesti renati, iisdem gra-
tiis constricti, iisdem trochleis SS. Cru-
cis ad charitatem attracti, ab invicem
dissensionibus avellamur? Fierine po-
test, ut natura non trahat ad sua jura,
ut graculus graculo non affideat, ut u-
pupa upux non applaudat, ut similis
simili non congaudeat? Fierine po-
test, ut lapis non tendat deorsum, ignis
non enitatur sursum, aura non moveat-
ur Zephyro, liquor non diffundatur,
homo non propendat ad amorem, &
benevolentiam? Fierine potest, ut
sanguis JESU Christi nos non con-
glutinet, ut in eodem odium, ac livor
non demergatur? Naufragati sunt in
mari rubro Pharaonis Erynnides, Fu-
riæque omnes; & natabunt iræ ac di-
ræ nostræ in cruento Domini pelago,
vivetque vindicta in funere Salvatoris?

Exod. 15. 25 Potuit lignum obvium in aquas ama-

rissimas dejectum mulsam, ac nectare-
am reddere, & non poterit arbor SS.
Crucis amaritudinem cordis nostri,
felleumque animum in melleum tem-
perare? Mansuescit deposita feritate
taurus silvestris, ad fici arborem dul-
cissimam alligatus, & homo iræ faci-
bus sufflamatus ad arborem Crucis ef-
ferabitur? Profectò quisquis turgel-
cit iracundia, inque fermento atræ bi-
lis totus jacet, is mihi semet suspectum
reddidit, vel à natura humana defecisse,
vel sanguini Dominico neutiquam
communicasse.

Diod. l. 1.
c. 48.
Isid. l. 17.
Orig.

§. III.

*Tertia pars Hominis est ipsum
charitatis vinculum seu unio.*

IX. **E**Ssentialis pars tertia hominis
est vinculum, seu unio, con-
stringens in unum, fasciansque corpus
& animam. Ipsius enim natura in eo
consistit, ut corpus & animam, quan-
tumvis inter se disparata conciliet, &
adamantinis nodis fortiùs advinciat
ad unitatem. Quod quàm sincerè, ac
strictè præstet, ex divortio harum par-
tium oppidò elucet. Prò quæ tum anxi-
etas animum occupat? quanta tristitia
mentem infestat? quanta debilitas e-
nervat medullas? quantus sudor obsi-
det frontem? quantus terror concutit
ossa? Despiciuntur opes, effunditur
sanguis, detruncantur artus, exurun-
tur cauteria, dummodo filum hoc, ani-
mum, corpusque concatenans, non
abrumpatur. Et licet quibusdam filum
hoc tenuissimum, commento varum
è fuso Lachesis deproperatum, & for-
fice quavis intercidendum esse videat-
tur;

Unionis vi.

tur; omni tamen nodo Gordio firmius adstringit; nec secus, quam aut ferro dissolvitur, aut grandi violentiâ rumpitur, aut ætatis vitio computrescit, aut irâ divum in floccos annihilatur. Hoc vinculo salvo frons in altitudinem erigitur, oculi crystallo palmam eripiunt, vultus purpurâ, niveque conspergitur, illigantur labiis lepores, decus collo affunditur, omnes artus ad decorem, ac delicias efformantur. Eodem verò dissuto, facies umbris obsiderur larvalibus, oculi in lacunas suas fœdissimè recedunt, gratia omnes exulant, totum corpus emonitur, ceditque putredini, ac vermibus. Hoc vinculo destituitur Angelus, quia est spiritus; saxa, quia purum corpus, & probabilius animalia; quia eorum anima educitur è materia, & in eadem indissolubiter sustentatur; solus verò homo eodem gaudet. O nos itaque malè luminatos! ô sideratos nimium, si non arbitramur, quanto opere hac ex parte ad charitatem efformemur, incitemurque. Quid enim illa est aliud, quam unio, ac vinculum universi, à quo omnis symmetria, omnis decor, decusque universi dependet & quæ à reicisâ natura in cadaver abominandum transmutatur. Non sinit me errare, qui en theo prolocutus est spiritu: *Qui non diligit, manet in morte.* Cadaver est vermibus scatens, nunquam moriturus; morticinum Cerbero gehennali consecratum; lignum putridum, æternis deperatum incendiis. *Qui non diligit, manet in morte.* Sequestratur à confortio hominum, anathematizatur à Sanctis, fulminatur à DEO. Et ut corporis soluto vinculo homo moritur

mundo; ita anima emonitur Numini, & sanctis ejus.

X. Quod si itaque tanto studio contenditis illæsum conservare illud corporis vinculum, an non justius est istud animæ accurare vigilantius? si ad illud retinendum amara quævis exauriuntur; si opes profunduntur, si ferum & ignes patimini, an non æquius est omnem substantiam profundere: pro dilectione & adversa quævis perpeti, triste absinthium, succosque peracerbos ligurire? Quod si pro illius integritate vota sanctè facitis, precesque funditis, an non sanctiùs pro hoc obtinendo supplices aris advolvemini?

Vereor tamen ne identidem nihilominus à plerisque fiat. Audire vel invitus cogor bene multos dissidia alere, lites serere, concordiam ejurare, ob unicum quandoque verbum in furias abire, aliave machinari, quæ lex DEI, & charitasque vetat. Inveniuntur quidem flent cum flentibus, gaudentibus autem aliis, livore ac invidia excæcati, ipsi luctu tabescunt, & pereunt. Nunquam iis bene, nisi aliis sit malè. Malunt mori, quam alios aut fortuna muneribus ornatos, aut ad altiora subvectos subsellia conspici. Et hoc cine est Christianum? Quid dico, hoc cine humanum? Minus dico, hoc cine naturæ consentaneum? Tota hominis natura, imo universi ad conjunctionem propendet, & vinculis quibusdam adamantinis constringitur; elementa mutuis complexibus illigantur, omnesque mundi partes concinnâ, modulataque consensione harmoniam efficiunt longè pulcherrimam. Hi soli cum Sathana turbant musicam, de-

tur-

turbandi, nisi se corrigant, cum eodem.
Hos itaque per preua redemptionis
nostræ obtestor, ut memores sint, unde
excisi, revocent se ad imaginem DEI,
imò ad amorem totos quantos effor-
matus: Et si quid etiamnum naturæ

humanæ illis inest, si quæ arteria, si
quæ fibræ hominis, venena exspuant,
sibi dent dextras invicem, amplexen-
tur in osculo pacis; & DEUS pacis, &
dilectionis erit cum ipsis. Amen.



CONCIO XLII.

IN DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Non est inventus qui rediret & daret gloriam DEO,
nisi hic alienigena. Luc. 17.

ARGUMENTUM.

CHARITES NOSTRASSIBI VENDICANT FOR-
MATIO, REFORMATIO, AC TRANSFOR-
MATIO HOMINIS.

*Beneficio-
rum semen
cito excres-
cat.*



I. **B**Atalis hic naturæ
humanæ aborsus
est, ut nihil rari-
us, aut ferius se-
mente benefi-
cium excrescat,
aut facilius exarescat. Auditores.
Quàm plurimos revocare ad calculum
est, qui copioso ejusmodi semine aliis
concredito se litus arasse, semen unà ac
operam perdidisse, aut pererras in au-
tumno necessitatis ex eo spicas legisse
desseverint. Videre est (prout de sua
semente fatur Agricola cœlestis) aliud
cadere prope viam, & transeuntium
viatorum pedibus conculcari, despici,
atque ab iis perinde ac volucris
subitò avolantibus arripi, & concoqui.

Luc. 8. 5. 6.

Aliud in saxum, pectus inquam obsti-
natum, quod incassum munus, vel mu-
neribus emollieris. Aliud inter spi-
nas opulentorum suffocari, infatuari,
obliterari. Quodque mirè, multò
maturius in Africa gentes inter barba-
ras, in leonum ac tygridum incunabi-
lis, gratiarum demetes spicas, quàm in
fœcundis, & sanguine Agni in contra-
minati, & immaculati irrigatis Chri-
stianitatis visceribus unam, alteramve
reperias. Ita ut non nisi singularis, ac
propemodum nimis (quo jacitur be-
neficiorum semen) affectuum calor,
aut copiosior beneficiorum velut im-
brium affluentia fertilitati telluris no-
stræ officere, eamque infœcundare vi-
deatur. Sterilitatem hanc desset ho-
dier-